

132

◀◀ Sīcine mē pātriīs āvectam, perfide, ab ārīs,
perfide, dēsertō līquistī in lītore, Thēseu ?

Sīcine discēdēns neglētō nūmine dīvum,
immemor ā ! dēvōta domum perjūria portās ?

136

Nūllane rēs potuit crūdēlis flectere mentis
cōnsilium ? Tibi nūlla fuit clēmentia præstō,
immīte ut nostrī vellet miserēscere pectus ?

140

At nōn hęc quondam blandā prōmissa dedistī
vōce mihī, nōn hęc miseræ spērāre jubēbās,
sed cōnūbia læta, sed optātōs hymenæōs,
quæ cūncta āerī discerpunt irrita ventī.

144

Nunc jam nūlla virō jūrantī fēmina crēdat,
nūlla virī spēret sermōnēs esse fidēlēs !
Quīs dum aliquid cupiēns animus prægestit apīscī,
nīl metuunt jūrāre, nihil prōmittere parcunt :
sed simul ac cupidæ mentis satiāta libīdo est,
dicta nihil metuēre, nihil perjūria cūrant.

148

Certē ego tē in mediō versantem turbine lētī
ērīpuī ! Et potius germānum āmittere crēuī,
quam, tibi fallācī, sūprēmō in tempore dēssem !
Prō quō dīlaceranda ferīs dabor ālitibusque
præda, neque injactā tumulābor mortua terrā.
Quænam tē genuit, sōlā sub rūpe, læna ?
quod mare conceptum spūmantibus expuit undīs ?
Quæ Syrtīs, quæ Scylla rapāx, quæ vasta Charybdis,
tālia quī reddis prō dulcī præmia vītā ?
Sī tibi nōn cordī fuerant cōnūbia nostra,
sæva quod horrēbās prīscī præcepta parentis,
attamen in vestrās potuistī dūcere sēdēs,
quæ tibi jūcundō famulārer serva labōre,
candida permulcēns liquidīs uestīgia lymphīs,
purpureāve tuum cōnsternēns veste cubīle.

152

156

160

164

Sed quid ego ignārīs nēquīquam conquerar aurīs,
externāta malō — quæ nūllīs sēnsibus auctæ
nec missās audīre queunt, nec reddere vōcēs ?

168 Ille autem prope jam mediis versatur in undis,
nec quisquam appāret vacuā mortālis in algā.
Sic nimis insultāns, extrēmō tempore, sæva
fors etiam nostris invīdit questibus aurīs.

Juppiter omnipotēns ! utinam nē tempore primō
172 Gnōsia Cēcropiæ tetigissent litora puppēs,
indomitō nec dīra ferēns stīpendia taurō,
perfidus in Crētā religāssēt nāvita fūnem,
nec malus hic, cēlāns dulcī crūdēlia fōrmā
176 cōnsilia, in nostris requiēssēt sēdibus hospes !
Nam quō mē referam ? Quālī spē perdita nītor ?
Īdæōsne petam montēs ? At gurgite lātō
discernēns pontī truculentum dīvidit æquor.
180 An patris auxilium spērem ? Quemne ipsa reliquī
respersum juvenem frāternā cæde secūta ?
Conjugis an fidō cōnsōler mēmet amōre ?
Quīne fugit lentōs incurvāns gurgite rēmōs ?

184 **P**rætereā nullō colitur sōla īnsula tēctō ;
nec patet ēgressus pelagī cingentibus undīs.
Nulla fugæ ratiō, nulla spēs : omnia mūta,
omnia sunt dēserta, ostentant omnia lētum.
188 Nōn tamen ante mihī languēscent lūmina morte,
nec prius ā fessō sēcēdent corpore sēnsūs,
quam jūstam ā dīvīs exposcam prōdita multam
cælestumque fidem postrēmā comprecet hōrā.

192 Quārē, facta virum multantēs vindice pœnā,
Eumenides, quibus, anguinō redimīta capillō,
frōns expīrantis præportat pectoris irās,
hūc hūc adventāte, meās audīte querellās,
196 quās ego, væ misera, extrēmīs prōferre medullīs
cōgor — inops, ardēns, āmentī cæca furōre.

Quæ quoniam vēræ nāscuntur pectore ab īmo,
vōs nōlite patī nostrum vānēscere lūctum,
200 sed quālī sōlam Thēseus mē mente reliquit,
tālī mente, deæ, fūnestet sēque suōsque. »

Catulle, poème 64, « Noces de Thétis et Pélée », vv. 132-201